



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia**

Ab anno CCCXXXII. ad annum CCCCLI.

**Parisiis, 1644**

Epistola LXXXV. Leonis Papae I. Ad Septimum Altinum Episcopum. Sancit  
haereticos, non nisi damnata haeresi, ad communionem recipiendos.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14584**

## EPISTOLA LXXXV.

## LEONIS PAPÆ I.

AD SEPTIMIVM ALTINVM EPISCOPVM.

Sancit hæreticos, non nisi damnata hæresi, ad communionem recipiendos.

*Leo episcopus Septimio episcopo salutem.*

**L**ECTIS fraternitatis tuæ literis, vigorem fidei tuæ; quam olim noueramus, agnouimus: congratulantes tibi, quod ad custodiam gregum Christi pastoralem curam vigilanter exequeris; ne lupi, qui sub specie ouium subintrarunt, bestiali sæuitia simplices quosque dilacerent, & non solum ipsi nulla correctione proficiant, sed etiam ea, quæ sunt sana, corrumpant. Quod ne viperea possit obtinere fallacia, ad metropolitanum episcopum prouinciæ Venetiæ scripta direximus, quibus ad status sui periculum cognosceret pertinere, si quisquam de Pelagianorum & Cælestianorum consortio veniens, in communione catholica sine professione legitimæ satisfactionis habeatur. Saluberrimum enim est, & spiritualis medicinæ utilitate plenissimum, vt siue presbyteri, siue diaconi, siue alii cuiuslibet ordinis clerici, qui se correctos videri volunt, errorem suum, & ipsos erroris auctores damnari a se sine ambiguitate fateantur: vt sensibus prauis & dudum peremptis, nulla sperandi supersit occasio, ne vllum membrum ecclesiæ talium possit societate violari, cum per omnia illis professio propria cœperit obuiare. Circa quos etiam illam Canonum constitutionem præcipimus custodiri, ne ab his ecclesiis, ad quas proprie pertinent, finantur abscedere, & pro suo arbitrio ad loca sibi non deputata transire. Quod cum recte non permittitur inculpatis, multo minus debeat licere suspectis. Proinde dilectio tua, cuius deuotione gaudemus, iungat curam suam dispositionibus nostris, & cum supradicto metropolitano det operam, vt circumspicte ac velociter impleantur ea, quæ ad totius ecclesiæ incolunitatem, & laudabiliter sunt gesta, & salubriter ordinata.

*Matth. 7.*

*1. quæst. 7.  
Saluberrimum enim.  
Et 1. q. 1.  
Omnis cuiuslibet.  
Et, Si quis hæretica.  
Et in Decr.  
Iuo. lib. 3. cum literæ variatione.*